

## LIBER SEXTUS

*Liber sextus in duobus partibus dividitur et tredicim omnino titulos continet.*

*In prima parte agitur de delictis et de poenis in genere, in altera de poenis in singula delicta.*

## PARS I

### *De delictorum punitione generatim (1311-1312)*

In canone praeliminari Legislator memorat doctrinam circa potestatem Ecclesiae infligendi poenas in suos subditos; et quia poena respondet delicto sicut praemium virtuti, sanctiones poenales recolit.

In Ecclesia sanctiones poenales sunt:

– poenae medicinales seu censurae, quarum finis extrinsecus est emendatio rei;

– poenae expiatoriae, quae formaliter ad punitionem delicti seu ordinis socialis restaurationem ordinantur.

Vero, quoad species poenarum, in doctrina aliae in specie distinguuntur, scilicet:

– poenae determinatae, si in ipsa lege vel praecepto taxative statutae; indeterminatae, si prudenti arbitrio iudici relictas sint;

– poenae latae sententiae, si determinatae ita sint additae legi vel praecepto ut incunantur ipso facto commissi delicti; ferendae sententiae, si a iudice infligi debeant;

– poenae a jure, si in ipsa lege statuuntur; ab homine, si ferantur per modum praecepti peculiaris vel per sententiam iudicalem.

Lex alias poenas expiatorias constituere potest, quae consentaneae aliquo bono spirituali vel temporali priverit; recipit praeterea remedia poenalia ad delicta praecavenda necnon paenitentiae ad poenam substituendam vel augendam.

ANNOTATIO: Poenae vindicativae appellationem datum est poenae expiatoriae in novo Codice.

*De lege poenali ac de praecepto poenali (1313-1320)*

Duo summa praescripta incedunt legem poenalem:

– applicatio reo lex favolabilior, si post delictum commissum lex mutetur;

– statim poenae cessatio, cum lex posterior tollit legem delicti vel saltem poenam.

Qui legislativam potestatem habet, etiam leges poenales ferre potest, et – servatis suae competentiae limitibus – congrua poena munire legem divinam vel ecclesiasticam cum suis legibus.

Ex gravissima necessitate, lex particularis potest etiam poenis universali lege constitutis in aliquod delictum alias addere.

Si lex universalis indeterminatam vel facultativam poenam committit, lex particularis in loco illius poenam determinatam vel obligatoriam constituere potest.

Sed tamen Episcopi dioecesani curent in eadem civitate vel regione ut leges uniformes ferantur.

Utrumque dimissio e statu clericali lege particulari constitui nequit.

Poenae latae sententiae ne comminentur nisi forte in singularia delicta dolosa ac infamiae insignia. Censurae, praesertim excommunicationes, ne constituentur, nisi cum maxima moderatione et in graviora delicta.

Lex poenalis a praecepto differt: etenim praeceptum singulis datur de re facienda aut omittenda ex parte cuius vi potestatis regimini id imponere potest et – exceptis expiatoriis poenis perpetuis – poenas determinatas comminari.

Nisi re mature perpensa et statutis servatis de legibus particularibus, praeceptum ne feratur.

Religiosi in omnibus quibus Ordinario loci subsunt ab eodem possunt poenis coerceri.

ANNOTATIO: In hoc casu, maior liberalitas notatur in Ecclesias particulares necnon clarum discrimen inter legem et praeceptum.

*De subiecto poenalibus sanctionibus obnoxio (1321-1330)*

Nisi qui legi poenali est subditus et delictum deliberate commisit, puniri non potest. Unde, ut quis puniatur, quattuor condiciones requiruntur: lex poenalis valens, subiectio legi, admissio delicti, imputabilitas.

Violatio legis aut praecepti dolum vel culpam graviter postulat; qui vero id egit ex omissione debitae diligentiae non punitur, nisi aliud lex aut praeceptum caveat.

Nisi aliter appareat, imputabilitas praesumitur.

De imputabilitate non gaudent, idest incapaces delicti sunt, qui habitualiter rationis usus carent.

In re criminali nullae poenae est obnoxius qui: sextum decimum aetatis annum nondum explevit; sine culpa ignoravit se legem vel praeceptum violare (ignorantiae inadvertentia et error aequiparantur); egit ex vi physica vel ex casu fortuito; metu gravi coactus egit aut ex necessitate; moderate egit legitimae tutelae causa contra iniustum sui vel alterius aggressorem; rationis usu carebat; sine culpa putavit aliquam adesse ex circumstantiis de metu gravi aut tutela legitima.

Circumstantiae imputabilitatem minuentes sunt: imperfectus usus rationis; defectus rationis propter ebrietatem culpabilem; gravis passionis aestus; sextum decimum aetatis annum expletum; metus gravis quamvis relative tantum vel coactio ex necessitate aut gravi incommodo; legitima tutela sine moderatione; gravis et iniusta provocatio; error in metu gravi vel legitima tutela; ignorantia poenae legi adnexae; defectus plenae et gravis imputabilitatis.

In his casibus poena statuta temperari debet vel in eius locum paenitentia adhiberi.

In applicandis praescriptis de quo supra (cann. 1323-1324) numquam considerari possunt ignorantia crassa vel supina vel affectata, ebrietas aliave mentis perturbationes artificiose quaesitae ad delic-

tum patrandum vel excusandum, passio voluntarie excitata vel nutrita.

Gravius puniendus est: qui post condemnationem vel poenae declarationem delinquere pergit; qui constitutus in dignitatis auctoritate aut officio abusus est ad delictum patrandum; reus qui eventum praevидit et nihilominus cautiones ad eum vitandum omisit.

Lex particularis et praeceptum alias circumstantias eximentes, attenuantes vel aggravantes statuere possunt.

Delictum frustratum aut conatus delicti non commissi, quia reus sponte destiterit ab incoepta executione, puniendum non est; si commissum praeter rei voluntatem, pariter puniendum non est, sed auctor tamen subici paenitentiae vel remedio poenali potest.

Si ex conatu damnum aut scandalum ortum sit, auctor – etsi sponte destiterit – iusta poena levioze puniri potest.

Correi et cooperatores, qui in delictum concurrerint, poenae ferendae sententiae, in auctorem principalem constitutae, plectuntur.

In poenam latae sententiae delicto adnexam incurrunt, si delictum patratum esset cum eorum opera; secus puniri possunt poenis ferendae sententiae.

Delictum quod in declaratione vel alia manifestatione voluntatis vel doctrinae vel scientiae consistat, tamquam non consummatum, censendum est, si nemo declarationem vel manifestationem percipiat.

### *De poenis aliisque punitiombus (1331-1340)*

DE CENSURIS: Censurae sunt poenae medicinales, quae dividuntur in excommunicationem, interdictum, suspensionem.

Excommunicatio est censura qua quis excluditur a communione fidelium.

Interdictum est censura qua fideles, in communione Ecclesiae permanentes, prohibentur sacris in iure determinatis. Ratione modi applicationis, potest esse autem locale, idest ad loca, altaria, oratoria ecclesiasque extenditur.

Suspensio est censura qua clericus officio vel aliquorum iurium vel munerum officio inhaerentium prohibetur.

Excommunicatus privatur jure habere participationem ministerialem in celebrandis Eucharistiae Sacrificio vel quibuslibet sacris caerimoniis, celebrare Sacramenta vel sacramentalia, Sacramenta recipere, exercere officia ecclesiastica vel actus regiminis ponere.

Si poena communitati nota sit, praescripta can. 1331, par. 2, nn. 1-5 applicabuntur.

Interdicto prohibentur assistere passive vel active divinis officiis et – si poena communitati nota sit – praescriptum can. 1331, par. 2, n. 1 applicabitur.

Suspensio, quae clericos tantum afficere potest, vetat omnes vel aliquos actus potestatis ordinis et regiminis necnon exercitium vel omnium vel aliquorum jurium vel munerum officio inhaerentium.

Vetitum numquam afficit officia vel regiminis potestatem, quae non sint sub potestate Superioris poenam constituentis, jus habitandi, jus bona administrandi.

Fructus, stipendium, pensiones aliave percepta, quamvis bona fide, post suspensionem secumferunt obligationem restituendi.

Ambitus suspensionis definitur ipsa lege vel praeepto aut sententia vel decreto. Lex tantum constituere potest latae sententiae suspensionem.

Vetita censurae quoad Sacramenta vel sacramentalia celebranda vel acta regiminis ponenda suspenduntur quoties necessarium sit ad consulendum fidelibus in mortis periculo constitutis; praeterea suspenduntur in censura latae sententiae non declarata vel ex qualibet iusta causa.

DE POENIS EXPIATORIIS: Poenae expiatoriae illae sunt quae directe ad delicti expiationem tendunt et indirecte ad emendationem rei, adversus quem afficere eadem possunt in perpetuum aut in tempus indeterminatum.

Poenae expiatoriae aliae bona spiritualia, aliae bona temporalia auferunt et a censuris fine suo differunt, quia primarius finis expiatio delicti est, etsi emendatio rei non prorsus negligatur.

Earum enumeratio taxativa non est, sed – praeter alias quas forte lex constituerit – in Ecclesia praesertim sunt:

1. Interdictum commorandi in certo loco vel territorio;
2. Inhabilitas ad omnes vel ad aliquot potestates, officia, munera, jura, privilegia, facultates, gratias, titula, insignia etiam mere honorifica;
3. Prohibitio exercendi illa quae sub n. 2 recensentur;
4. Translatio poenalis ad aliud officium;
5. Dimissio e statu clericali.

Prohibitio commorationis sive clericos sive religiosos afficere potest et oportet consensus Ordinarii loci ad quem, nisi agatur de domo clericis paenitentibus vel emendandis destinata.

ANNOTATIO: In novo Codice nihilo plus consideratae sunt: translatio vel suppressio sedis episcopalis vel paroecialis, infamia, privatio sepulturae ecclesiasticae, privatio sacramentalium, depositio, privatio perpetua habitus ecclesiastici, degradatio. Deest autem discrimen inter poenas communes et poenas clericorum peculiare. Coniectatur de erigenda domo extradioecesana, destinata clericis paenitentibus vel emendandis.

DE REMEDIIS POENALIBUS ET PAENITENTIIS: Remedia poenalia sunt monitio et correptio, scripto datae ab Ordinario per se vel per alium ex investigatione peracta, quae antevertunt delicta vel saltem impediunt, ut malum praeveniant, scandalum removeant, ordinem publicum restituant.

Paenitentiae sunt opera in foro externo imposita eum in finem ut reus vel poenam effugiat vel poenae contractae remissionem recipiat. Paenitentiae praecepta sunt peragendi aliquod religionis vel pietatis vel caritatis opus.

Paenitentias Ordinarius addere potest poenalibus remediis.

ANNOTATIO: Novus Codex servavit duo tantum remedia poenalia, idest: monitio et correptio; non recepit paenitentiae elenchum in Codice 1917 sancitum.

## *De poenis applicandis (1341-1353)*

Poenae declarari vel infligi per sententiam iudicalem vel ad modum decreti extra iudicium possunt. Quoad poenas infligendas, Ordinarii est curare proceduram iudicalem vel administrativam, cum perspexerit neque ammonitione neque correptione neque aliis pastoralis sollicitudinis viis satis posse scandalum reparari, iustitiam restitui, reum emendari.

Poenae irrogari vel declarari possunt per decretum extra iudicium, quoties iustae obstant causae ne iudicialis processus fiat. Remedia poenalia et paenitentiae applicari possunt per decretum, numquam poenas perpetuas neque poenas quas lex vel praeceptum vetet applicare.

In poenis decernendis iudex pro sua conscientia et prudentia potest: poenam temperare; poenae irrogationem in tempus magis opportunum differre; a poena irroganda abstinere vel poenam mitiorem irrogare aut paenitentia adhibere, si reus emendatus sit ac scandalum reparavit aut si a civili auctoritate punitus sit vel punitum iri praevideatur; concedere poenam sub condicione intra tempus.

Concursis circumstantiis imputabilitatem minuentibus, iudex potest etiam a qualibet punitione irroganda abstinere, si censeat aliter posse melius consuli rei emendationi.

Etsi regula generalis pro poenis sit: «tot poenae, quot delicta» (v.g. cumulus materialis), prudenti iudicis arbitrio relinquitur poenas intra aequos terminos moderari, si cumulus poenarum ferendae sententiae nimius videatur.

Censura irrogari valide potest post rei monitionem, quae congruum tempus contumaci praescribet ad resipiscentiam.

In reum absolutum vel impunitum Ordinarius remedia poenalia vel opportunos monitus statuere potest pro eius utilitate et publico bono.

Si poena indeterminata statuatur, servetur moderatio; iudex ne irroget poenas graviores aut perpetuas, nisi casus gravitas postulet.

Nisi agatur de dimissione e statu clericali, clerico punito semper cavendum est ne careat necessariis ad honestam sustentationem; si



dimissus e statu clericali indigens sit, Ordinarius meliore modo providere curet.

Poena reum ubique tenet, etiam resoluta jure eius qui poenam constituit vel irrogavit.

Quamdiu reus in mortis periculo versatur, poena recipere Sacramenta vel sacramentalia suspenditur.

Obligatio servandi poenam latae sententiae suspenditur ex toto vel ex parte, quatenus reus eam servare nequeat sine periculo scandali vel infamiae.

Appellatio vel recursus a sententiis iudicialibus vel a decretis effectum suspensivum habet.

ANNOTATIO: Titulus est novus et principia de poenis applicandis plane ordinato modo tradita sunt prae Codice 1917. In poenis decernendis omnia pastoralia Superiores experiuntur ante causam iudiciale, quae praeferrri causae administrativae debet.

### *De poenarum cessatione (1354-1363)*

Poena ecclesiastica exstinguitur, praeter mortem rei et expiationem poenae, per remissionem et praescriptionem.

Remissio intra limites a jure statutos poenam irrogatam plene vel minus plene condonat.

Praescriptio est decadentia quae tunc habetur quando – transacto termino a lege definito – nequit iurisdictio ecclesiastica amplius actionem poenalem aliquam experiri.

Dummodo ne Aposolicae Sedi sit reservata, poenam irrogatam vel declaratam remittere possunt:

– Ordinarius qui eam irrogavit vel declaravit vel iudicium promovit.

– Ordinarius loci in quo reus versatur, consulto Ordinario de quo sub n. 1, nisi propter circumstantias extraordinarias impossibile sit.

Si Sedi Apostolicae non reservata, poenam latae sententiae nondum declaratam potest Ordinarius loci remittere et in actu sacramentalis confessionis eamdem facultatem quilibet Episcopus habet.

Poenae ferendae vel latae sententiae, declaratae et non irrogatae ab Apostolica Sede, remittuntur ab Ordinario loci in quo reus versatur et etiam ab Ordinario qui iudicium promovit vel decretum emittit, consulto semper Ordinario emissore.

In foro sacramentali, firmis praescriptis cann. 508 et 976, confessarius remittere potest poenas non declaratas, si paenitenti durum sit in statu gravis peccati permanere per tempus ut Superior irrogans provideat, sed confessarius paenitenti iniunget intra mensem recurrere ad Superiorem sub poena reincidentiae, et interim congruam paenitentiam imponit. Eodem onere recurrenti tenentur qui, multati poenis declaratis, versantur in periculo mortis postquam convaluerint.

Remissio censurae datur reo recedenti a contumacia, sed ipsi paenitentia commutari potest.

Insuper remissio valet tantummodo pro poenis in ipsa expressis; irrita est si metu gravi extorta sit; dari potest absentem vel sub conditione; ne divulgari debet ad rei famam tuendam vel ad scandalum reparandum.

Nisi agatur de delictis Congregationi pro Doctrina Fidei reservatis vel de actione ob delicta quae quinquennio praescribuntur vel de delictis quae particularis lex statuerit alium praescriptionis terminum, actio criminalis generatim triennio extinguitur.

Praescriptio ex die quo commissi delicti vel ex die quo cessavit actio, si delictum sit permanens vel habituale, decurrit.

Intra supra dictos terminos notificanda est pariter condemnatoria sententia executoria vel decretum extra iudicium, praevia subversione per praescriptionem.

ANNOTATIO: In titulo novi Codicis vox «cessatio» reponit vocem «remissionem». Vox «remissio» tamen in usu est respectu censurae, cuius cessatio in foro sacramentali tantum perseverat in voce «absolutione». In poenae remissione confessario potestas latissima datur.